

## EPISTOLA a S. CASTORIS APTENSIS EPISCOPI

AD

## DOMNUM CASSIANUM

ABBATEM MASSILIENSEM.

*Domno sanctitatis speciali gloria decorato, atque per omnia memorando: sed et scientiarum decore pollenti, Patri scilicet Cassiano, Castor in mundo degentium peripsema (I Cor. IV), quæ possumus servitutis humillima.*

*Rationabiliter, Pater, irrationabilibus et elinguibus pædagogii fomenta subveniunt: quia etsi non æqua omnibus moderatio, oppressa humanitate rigere deprehenditur: restat tamen ut his quibus subacta probatur, subiogat emolumentum. Non enim omnia possumus omnes; quia non omnium nosse certare. Merito enim sui quisquam jacturam incurrit, qui ea quæ potiora capere didicit bona, surripere minime ambigit [Forte satagit]. Diutina namque sunt exercitatione premendi, variisque operibus alendi, quibus aliorum discretio subrogatur. Etenim aliquoties præsumptor sua temeritate succumbit, dum, necessariis usibus apta, sua incongrua industria incertis moderationibus dispertitur. Nobis vero idiotis facile per incuriam inepta persuaderi possunt. Te ergo, charissime Pater, qua possumus charitate prævenimus, quopiam ac inexhausta exuberantia, nihil promere sapientibus nobis subvenias, et quibus præemines exercitiis, sub quibus præpollens mens et membra creverunt, nos neophytos, et mundialis pompæ accurrationibus illectos excitare non differas. Te quidem potissimum Orientalium cœnobiorum doctrina expertum tenemus, maximeque Ægyptiorum, et apud Thebaidem fundatorum: præsertim cum et loca Dominica nativitate insignia tua sint illustrata præsentia. Quocirca cum sis omnium studiorum Catholicorum disciplina refertus, te quoque convenit nos scientiæ inopes, non præterire. Poscimus namque tuam paternitatem, in instituta monasteriorum, quæ per Ægyptum et Palæstinam florere, ac institui vidisti, et servanda sanxisti, et sicuti ibi à Patribus tradita sunt, simplici sermone in nostro rudi monasterio adhibere complanata non abnuas, et eloquiorum tuorum melliflua suavitate exuberantia verba diffundens, nostra diu arentia corda rigare non differas: ex quo abjecta sterilitate fruges justitiæ valeant pullulare. Unde reor si quid proficere nos possibile fuerit, te quoque potiori merito munerandum: si paterni laboris obedientia inertium mentes qualemcumque redderint habilem servitutem. Vale, pater Dei servorum, et memento nostri.*

<sup>a</sup> Ex vetusto Codice Elnonensis monasterii S. Amandi.

## JOANNIS CASSIANI

ABBATIS MASSILIENSIS

## DE COENOBIORUM INSTITUTIS

LIBRI DUODECIM

## PRAEFATIO,

AD CASTOREM PONTIFICEM.

Veteris Instrumenti narrat historia sapientissimum Salomonem post acceptam divinitus sapientiam prudentiamque multam nimis, et latitudinem cordis quasi arenam maris innumerabilem (III Reg. IV): ita ut Domini testimonio nullus ei similis retroactis temporibus existisse, neque post eum surrecturus esse dicatur, illud magnificum Domino templum exstruere cupientem, alienigenæ regis Tyri auxilium poposcisse. Qui misso ad se Hyram filio mulieris A viduæ, quidquid divina sapientia suggerente præclarum in templo Domini, vel in sacris vasis moliebatur, ministerio ejus ac dispositione perfecit (III Reg. VII). Si ergo ille universis regnis terræ sublimior principatus, et Israelitici generis nobilior excellentiorque progenies (III Reg. VII), illaque sapientia divinitus inspirata, quæ cunctorum Orientalium et Ægyptiorum disciplinas et instituta superabat, nequaquam pauperis atque alienigenæ viri